

Privilegium Impressorium.

LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore presentium universis; Quum noster & Imperii Sacri fidelis dilectus Paulus Fürst, Civis & Bibliopola Norimbergensis nobis humillimè exposuerit, se magno labore & gravibus impensis in communem omnium, præsertim Mathematices studiosorum utilitatem opera quedam partim Latino, partim Germanico idiomate conscripta, utpote Georgii Andreae Bœcleri, Architecturam curiosam novam; Item Archimedis in Germanicum translata opera Geometrica; Item Tabulas Dimensionis triangulorum ex Canone sinuum, calculatæ per Sebastianum Curtium Mathematicum; Item Jacobi Bartschi Planispherium stellarum, seu vice-globum Cælestem in plano delineatum; Item Andreae Goldmayeri Mathematici opera, ac tandem Habrechtii globum Cælestem & Terrestrem, prælo suo committenda, inq̃ publicum proferenda suscepisse, vereri autem, ne eadem opera, postquam publicata fuerint, alii etiam quæstus causâ cum ipsius non levi tetrimento temere æmulentur, ideoq̃ nobis demissè supplicarit, ut se adversus ejusmodi periculum privilegio nostro Cæsario præmunire clementer dignaremur. Nos cum eos qui suo labore suoque sumptu id efficiunt ut optimi quiq̃ authores quàm emendatissimi in lucem prodeant favore & gratia nostra dignos judicemus, ejus Paulus Fürst æquissimis precibus clementer exauditis, tenore presentium omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis aliisq̃ quibuscunq̃ negotiationem librariam exercentibus interdiciamus ac vetamus, ne quis prædicta opera per dictum Fürst excudenda, per decennium à primâ editionis die computandum in toto Romano Imperio Regnisq̃ & Provinciis nostris hæreditariis, simili aut alio quopiam caractere vel formâ, sive in toto sive in parte, sine expressâ ipsius Pauli Fürsten inscriptis impetrata licentia, imprimere, aut alibi impressum adducere seu vendere publicè vel occultè præsumat sub pœna decem marcarum auri puri Fisco nostro Cæsareo fraudis vindici (præter amissionem librorum, quos ipsi Paulo Fürst, ubicunq̃ locorum reperti fuerint, per se, vel magistratus illius auxilio sibi vindicare inq̃ suam potestatem redigere fas esto) irremissibiliter pëndenda. Dummodo tamen prædicti omnes libri turpe quidpiam, legibusq̃ contrarium non contineant, hujusq̃ nostri